



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 4. Quandonam institutus à Christo Domino?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

in Ecclesiæ fide mortuus credens se baptizatum, licet post mortem ejus compertum fuerit, eum non fuisse baptizatum, Ecclesiastica sepulturâ esset donandus, ita respondet. *In-*
Cap. Aposto- *quæstioni tua taliter respondemus, Presbyterum quem sine unda Baptismatis extremum*
licam. De Pres- *rum quem sine unda Baptismatis extremum*
byt. non Bap- *diem clausisse significasti: quia in sancta Ma-*
rato. *tris Ecclesia fide & Christi nominis Confessione perseveravit, ab originali peccato solutum & celestis Patria gaudium esse adeptum asserimus incunctanter. Lege super hoc lib. 8. Augustini de civitate Dei, ubi inter cætera legitur: Baptismus invisibiliter administratur, quem non contemptus Religionis, sed articulus necessitatis excludit. Librum etiam B. Ambrosii, de obitu Valentiani, idem asserentis revolve. Sopitis igitur quæstionibus Doctorem, Patrum sententias teneas, & in Ecclesia tua juges preces hostiasque Deo offerri jubeas pro Presbytero memorato.*

Hoc summi Pontificis monitum de sequendis omninò Patrum sententiis, notet Christianus Lector; quia in quæstionibus moralibus decidendis, hoc tempore valdè utile & necessarium est, ejusque moniti prætermisio, varios circa mores errores, hoc præsertim sæculo, invexit.

Quæst. 4. Quandonam institutus fuit Baptismus à Christo Domino?

Resp. Sentiunt communiter Patres, Baptismum institutum fuisse à Christo Domino cum à Joanne baptizatus fuit in Jordane.

D. Aug. Serm. Divus Augustinus sic ait; *Ex quo Salvator*
36. de Temp. *in aqua se mersit, ex eo omnium gurgitum tractus cunctorumque fontium venas Mysterio Baptismatis consecravit, & quisquis ibi in nomine Domini baptizari voluit, non tam illum mundi aqua diluit, quàm Christi unda*

De Sacram. Baptismi. Cap. I. 55

purificat. *Salvator autem ideo baptizari voluit, non ut sibi munditiam acquireret, sed ut nobis fluentia mundaret.*

Sanctus autem Ambrosius : *Baptizatus est ergo Dominus, inquit, non mundari volens, sed mundare aquas; ut abluta per carnem Christi, qua peccatum non cognovit, Baptismatis jus haberent.*

D. Ambros.
lib. 1. in Lu-
cam cap ult.

Et rationem affert Divus Thomas, cum ait : *Sacramenta ex sui institutione habent quod conferant gratiam. Unde tunc videtur aliquod Sacramentum institui, quando accipit virtutem producendi suum effectum : hanc autem virtutem accepit Baptismus, quando Christus est baptizatus, unde tunc verè Baptismus institutus fuit, quantum ad ipsum Sacramentum.*

D. Th. 3. p.
q. 66. art. 2.
in corp.

Quaest. 5. *Quoniam tempore incepit obligatio suscipiendi Baptismum?*

Resp. *Respondeo cum Divo Thoma : Necessitas utendi Sacramento Baptismi indicta fuit homini post Passionem & Resurrectionem : tum quia in Passione Christi terminata sunt figuralia Sacramenta, quibus succedit Baptismus, & alia Sacramenta nova legis; tum etiam quia per Baptismum configuratur homo Passioni & Resurrectioni Christi, in quantum moritur peccato, & incipit novam vitam. Et ideo oportuit Christum prius pati & resurgere quam hominibus indiceretur necessitas se configurandi morti & Resurrectioni ejus.*

D. Th 3. p.
q. 66. art. 2.
in corp.

Videtur etiam quod obligatio & necessitas Baptismi incepit tantum post diem Pentecostes; quia, ut ait Concilium Tridentinum, *Justificatio, post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest : Videmus autem Apostolos non prius Evangelium promulgasse aut Bap-*

Concil. Trid.
sess. 6, cap. 4.